

dicti exeant tempore officiorum, item ipsi interdicti non exeunt post monitionem. Clement. 2. de sent. excomm. 4. Qui interdictos extra casus concessos scienter in loco sacro sepelunt, contrahunt excommunicationem Episcopo reservatam. Clement. 1. de sepult. 5. Excommunicantur Religiosi etiam exempti, qui non servant interdictum locale latum a Papa, vel Ordinario, quando servatur a matrice Ecclesia, vel a parochiali loci, ubi habitant. Clement. 1. de sent. excomm.

1452. VI. Interdictum a jure latum tollitur per relaxationem seu absolutionem, et quidem si sit *locale*, vel *personale generale*, ab habente jurisdictionem Episcopalem in talem locum vel communitatem, quia hic solus habet jurisdictionem in foro externo in locum vel communitatem interdictam: ideoque nec Religiosi, qui alias gaudent privilegio absolvendi ab aliis censuris, tunc possunt absolvere, utpote quorum potestas ex privilegio se tantum extendit ad forum internum poenitentiae, cui nec locus, nec communitas subjicitur. Si vero interdictum sit *personale particulare et reservatum*, tollitur per se a Papa: ex privilegio autem, (si sit occultum, neque deductum ad forum contentiosum) ab Episcopo pro foro interno, item pro eodem foro a Religiosis Mendicantibus gaudentibus hoc privilegio; si non sit reservatum, tolli potest a quolibet Confessario, qui a mortalibus potest absolvere. Pichler l. c. n. 53. Denique interdictum sive locale, sive personale latum ab homine per sententiam specialem, tolli potest a solo Auctore, vel ejus Successore, vel Superiore, vel horum Delegato. Suar. d. 38. de censur. sect. 2. n. 2.

1453. Q. Quid sit *cessatio a divinis*, alias etiam suspensio organorum, vel laudis divinae? R. Est prohibitio ecclesiastica Clericis imposta, ut abstineant ab officiis divinis, et administratione sacramentorum in aliquo loco, in contestationem moeroris, et justae defensionis ob gravem aliquam injuriam Ecclesiae. Clericis aut honori divino illatam. Haec quidem eosdem ferme effectus habet (excepta sepultura sacra) quos interdictum; non tamen est censura, quia non est poena medicinalis; hinc licet ejus violatio sit graviter peccaminosa, non tamen inducit irregularitatem; c. 18. de sentent. excomm. in 6. Praeterea talis cessatio (juxta c. 8. in fine de officio ordin. in 6.) non debet durare ultra mensem; si enim intra mensem inter eum, qui indixit cessationem, et inter illum, qui per culpam suam huic poenae dedit causam, non fiat compositio, nec causa Romam ab iis fuerit delata, tunc per se desinit ista prohibitio.

ARTICULUS II. De Irregularitate.

§. I. Praenotanda de Irregularitate in genere.

1454. *Praenotandum I.* Irregularitas in genere est impedimentum canonicum, quo prohibetur ordinum susceptio et susceptorum exercitium. *Impedimentum* dicitur, quia proprie non est censura, aut poena medicinalis, sed inhabilitas statuta a sacris canonibus, tanquam impedimentum ad suscipiendos ordines, vel ad susceptos exercendos ob reverentiam sacro altaris ministerio debitam. Unde triplicem habet effectum irregularitas: 1. Illicita per eam, non vero invalida redditur ordinum susceptio. 2. Pariter illicitum, non tamen invalidum redditur exercitium ordinum susceptorum. Hinc graviter peccat, qui in irregularitate recipit vel exercet ordinem, quia violat praeceptum Ecclesiae in re gravi. Nomine ordinum etiam hic intelligitur prima tonsura, quatenus constituit hominem in statu clericali, et reddit capacem beneficii ac ordinis. 3. Irregularitas facit, ut collatio beneficii facta irregulari sit invalida; an autem sit

invalida ipso facto, ex jure certo non constat; ideoque multi cum Suarez et Coningk probabile esse affirmant, ejusmodi collationem illicitam quidem esse, et contra canones, ideoque irritandam, non tamen ipso jure irritam; secundum quam sententiam probabilem infert Busemb. quod is, qui beneficium impetravit in irregularitate, obtenta hujus dispensatione, illud in foro conscientiae licite possit retinere sine nova collatione; item si postea beneficio privetur, non teneatur fructus restituere. Alii vero juxta tutiorem asserunt, ejusmodi irregulararem teneri in conscientia resignare beneficium, si dispensatio non sit impetranda intra breve tempus, quia inconveniens videtur, ut is retineat beneficium, qui per se non potest ullum officium praestare.

1455. *Praenotandum II.* Irregularitas alia est ex *defectu*, alia ex *delicto*. Iterum alia est *totalis*, et proprie talis, quae omnium *ordinum* susceptionem et usum impedit. Alia *partialis*, quae aliquo tantum ordinis ministerio privat, vel solo ascensu ad ordines superiores: sic Diaconus sinistro oculo carens inhabilis est ad Sacerdotium; in suo tamen ordine ministrare potest.

1456. *Praenotandum III.* Irregularitas contrahitur ante omnem sententiam et etiam ob defectum vel crimen occultum; tollitur per dispensationem, non per absolutionem, secundum formulam n. 696. traditam, aut juxta Rituale Romanum sequenti modo: *Dispenso tecum super irregularitate quam incurristi propter... (additur causa) et habilem reddo, ac restituo te executioni ordinum et officiorum tuorum, in nomine Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.*

1457. *Praenotandum IV.* Ignorantia invincibilis solius irregularitatis etiam ex delicto non excusat ab illa, juxta communiorem; quia irregularitas non est primario poena, sed inhabilitas annexa a jure ob reverentiam sacris mysteriis debitam. Pichler L. 5. tit. 37. n. 25. contra multos: ubi tamen defendit, quod is non incurrat irregularitatem, qui dubitat, an suus actus sit obnoxius irregularitati, si, post adhibitam in inquirenda veritate diligentiam, maneat dubium sive *juris*, scilicet an sit statuta irregularitas in aliquem actum, sive *facti*, scilicet an hic vel iste actus sit talis, cui annexa est irregularitas; excepto dubio facti, quo quis dubitat, an homicidium, quod certo scitur esse commissum, a se vel alio sit perpetratum, qui casus expresse excipitur c. *Significasti*, de homicid. volunt.

1458. *Praenotandum V.* Clericus irregularis licite potest obire omnia munera sacra, quae competere possunt laico, ut in Ecclesia canere, celebranti ministrare, sacramenta recipere, excepto sacramento ordinis etc.

§. 2. De irregularitate ex defectu.

1459. *Principium generale.* Novem distinguuntur species irregularitatis ex defectu, scilicet ex defectu *animae, corporis, natalium, famae, aetatis, obligationis, sacramenti, lenitatis, et libertatis.*

*Ortus, libertas, ratio, mens, corpus, et aetas,
Non bigamus, lenis, nec mala fama notet.*

1460. I. Triplex animi defectus inducit irregularitatem, scilicet *defectus usus rationis, scientiae, et fidei confirmatae*. Ob *defectum rationis* ab ordinibus arcentur 1. amentes et furiosi habitualiter ex laesione organorum, non autem ex sola causa transeunte, v. g. febre vehementi. 2. Lunatici, qui per temporum intervalla amittunt usum rationis. 3. Epileptici. 4. Energumeni seu arreptitii, qui a daemone vexantur; c. *Maritum*

2. dist. 33. ex S. Gregor. Addit tamen *Palao* de censur. d. 6. p. 10. n. 4. amentiam Clericum jam ordinatum non impedire ab exercitio ordinum, nisi quamdiu durat, aut quamdiu periculum est in illam reincidenti: idem sentiendum de epilepsia. De energumenis vide c. *Communiter*, dist. 33.¹⁹ Ob defectum scientiae irregularares sunt, qui nec de facto sciunt, nec capaces censeri possunt addiscendi ea, quae ordinandi scire tenentur. Ignorantia scilicet si tanta sit, ut ministerium ordinis exercere non permittat, constituit hominem irregulararem, ut arguitur ex c. *Illiteratos* 1. dist. 36. Addit *Palao* l. c. cum *Sayro*, quod defectus scientiae, quam *Tridentinum* pro singulis ordinibus requirit, impedit quidem regulariter sub gravi culpa, ne, eo stante, ordo suscipiat, non tamen inducat irregularitatem, quia *Tridentinum* non addidit, eos irregularares esse, qui scientia praescripta essent destituti. Ex defectu fidei confirmatae irregularares sunt, qui recens ad fidem convertuntur ab idolatria, Judaismo, et Mahometismo. Non neophytum (ait s. Paulus 1. ad Tim. 3.) ne in superbiam elatus, in judicium incidat diaboli. Confirm. ex c. *Quoniam*. 1. dist. 48.

1461. II. In genere primo is censemur irregularis ex defectu corporis, qui ob defectum corporalem non potest sine notabili indecentia, deformitate, vel sine aliorum horrore, nausea, offensione, et scandalo divina peragere, ut colligitur ex c. *Presbyterum*. 2. de Clerico aegrot, et ex c. *Cum de tua*, de corpore vitiatis. Hinc irregularis est, qui caret auribus (nisi haec deformitas capillis tegi possit ut ait *Laym.*); qui caret naso, qui monstruose gibbosus, leprosus, paralyticus est; qui membra habet superflua cum magna deformitate; secus, si sine magna deformitate, v. gr. si quis habeat sex digitos, vel aliquos conjunctos, ita ut sine notabili inconvenientia ordinem possit exercere; item si quis habeat tam deformem cicatricem in facie, ut horrorem aspicientibus incutiat: secus, si non adeo deformem. Secundo, ille defectus inducit irregularitatem, propter quem quis ineptus est ad exercitium ordinis, v. g. si sit caecus, surdus, claudus, ita ut sine baculo nequeat ire, et stare ad altare; item si careat manu, pollice, indice, oculo canonico, hoc est sinistro; item si pollex ita debilis sit, ut hostiam frangere vel levare non possit. Irregularis autem non est, qui caret ungula pollicis vel indicis, vel qui habet utrumque oculum, sed ex dextro, (imo juxta plures) si ex sinistro non videat, modo *Canonem Missae* sine indecenti faciei torsione possit legere; vel qui in oculo habet maculam visum non auferentem, nec notabiliter deformantem, item qui per vim vel infirmitatem factus est eunuchus. Denique hic subjicit *Laymann* regulam communem, quod, si adsit talis defectus corporis, qui neque notabilem deformitatem contineat, neque scandalum in celebratione creare possit, neque usum aut exercitium celebrationis impedit, non inducatur irregularitas.

1462. Q. An vitia corporis occulta inducunt irregularitatem? R. cum *Bonac.* l. c. num. 19. et seq. Carentia vel privatio alicujus membra occulti, quae contingit absque propria culpa, non inducit irregularitatem, modo illa privatio non sit conjuncta cum notabili deformitate: e contra si propria culpa contingat, inducit irregularitatem, etsi non impedit usum ordinis; hinc irregularis est, qui membrum occultum sibi amputavit, quamvis vitium sit occultum, juxta cap. *Maritum*. 2. dist. 33.; item hermaphroditus licet occultus, ut probat *Bonac.* t. 1. d. 7. p. 2. punct. 2. num. 12. et seq.

1463. Juxta eundem l. c. n. 36. ad summum Pontificem pertinet dispensare in irregularitate proveniente ex defectu corporis, nisi fortei

conjuncta sit cum impedimento juris naturalis. In dubio autem, an defectus corporis sit sufficiens, Episcopi est judicare, utrum defectus inducat irregularitatem, ut colligitur ex c. 2. de corpore vitiatis.

1464. III. Ex defectu natalium irregularares sunt omnes illegitimi, eoque ratione originis reputentur viles. *Illegitimus* autem dicitur, qui non est natus ex vero, vel saltem invincibiliter putatitie vero matrimonio. Si sit ex parentibus, inter quos nec tempore conceptionis, nec tempore nativitatis, nec intermedio legitimum potuit esse matrimonium, dicitur *spurius*. Natus ex damnato coitu dicitur, qui genitus est ex adulterio, incestu, concubitu sacrilego: si vero sit ex parentibus, inter quos predictis temporibus potuit esse legitimum matrimonium, *naturalis* appellatur. Hi omnes sunt illegitimi, et arcentur ab ordinibus et beneficiis.

1465. Dixi supra, vel saltem putatitie vero matrimonio: quia pro legitimo habetur, qui natus ex matrimonio in facie quidem Ecclesiae bona, fide saltem unius contrahentium celebrato, sed revera nullo ob aliquod impedimentum dirimens; c. *Ex tenore*, et c. *Cum inter*, qui filii sint legitimi expositi, quorum natales ignorantur, pro illegitimis sint habendi, non convenientia AA. Juxta Communio rem apud *Bonac.* l. c. punct. 3. n. 10., *Suarez*, *Covarr.* praesumendi sunt irregularares, quia communiter filii legitimi exponi non solent. Juxta alios sentientes cum *Barbosa* habendi sunt pro legitimis, tum quia etiam hi saepe exponuntur ob paupertatem parentum, vel aliis de causis, tum quia in dubio inclinandum est in favorem prolis. Praeterea illegitimi non sunt, 1. qui nascuntur ex matrimonio solum illicito, v. g. ex conjugibus voto simplici castitatis obstrictis. 2. Nati ex parentibus Judaeis, vel aliis infidelibus, quia horum matrimonia in ratione contractus censentur valida. 3. In dubio, an quis sit illegitimus, habetur legitimus, quia in dubio delictum non praesumitur, et culpa parentum dubia non debet obesse proli cum detimento certo. Hinc etsi sciatur, quod uxor ante matrimonium ab aliis fuerit cognita, si tamen proles nascatur post septimum mensem, censemur legitima.

1466. Irregularitas ex defectu natalium quatuor modis potest tolli: primo per solemnum Religionis professionem; c. 1. de filiis Presbyt. In hoc tamen casu tantum tollitur irregularitas quoad ordines, non vero quoad praelationes et dignitates, ad quas suscipiendas requiritur specialis dispensatio.

1467. Secundo, filii nati ex soluto et soluta, si careant impedimento dirimente, legitimantur per subsequens matrimonium, juxta c. *Conquestus*, qui filii. Geniti autem ex adulterio, et nati constante matrimonio, non legitimantur per subsequens matrimonium. Hinc si adulter, mortua coniuge, ducat in matrimonium foeminam, ex qua prolem suscepit, proles manet illegitima; praesertim si in mortem uxoris prioris alteruter eorum fuerit machinatus, ut definit Alex. III. in c. *Tanta*, qui filii. Ita quoque respondet *Bened. XIV.* in rescripto ad Archiepiscop. s. Dominici in Insula Hispaniola, tom. I. ejusdem Bullarii pag. 452. et incipit: *Redditiae nobis*, ubi §. 6. declarat, quod sive praecesserit machinatio in mortem prioris uxoris, sive non, tamen illegitima maneat proles ex adulterio nata, et sensus vocis *praesertim* in cit. c. *Tanta*, idem sonet ac multo magis, ita ut (ait idem *Bened. XIV.*) vera *Decretalis illius sententia sit, quod quum proles ex adulterio suscepta pro spuria perpetuo sit habenda, et ab haereditate repellenda, etiamsi legitimum postea ineat inter parentes matrimonium; multo magis id procedet, ubi alteruter in prioris uxor mortem fuerit machinatus.*

1468. Tertio, haec irregularitas tollitur per Legitimationem a summo

Pontifice quoad effectus spirituales, sive quoad jus ad ordines, et beneficia ac dignitates; quoad effectus civiles vero, sive quoad jus ad haereditatem paternam pertinet ad Principem saecularem.

1469. *Quarto, per dispensationem.* Cum illegitimis autem dispensare potest Papa pro omnibus ordinibus, et beneficiis, Episcopus vero 1. cum suis subditis ad ordines minores, et beneficia simplicia, c. *Is qui*, de filiis Presbyt. in 6., non tamen ad plura beneficia etiam tenuia ab uno eodemque possidenda. 2. Juxta probabilem *Avilae, Barbosae, Laym., Franc. Schmier* et aliorum contra *Bonac.* et alios plurimos, si defectus natalium sit occultus, Episcopus potest dispensare super tali irregularitate etiam in ordine ad majores ordines, et beneficia curata, ex regula *Trid.* sess. 24. c. 6. de reform. *Liceat Episcopis in omnibus irregularitatibus, et suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quae oritur ex homicidio voluntario, et exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.* Ideoque cum haec irregularitas oriatur ex delicto occulto, quamvis non proprio, parentum tamen, legitime videtur extendi dispositio Tridentini ad eam. Porro juxta *Bonac.* l. c. pun. 3. n. 14. legitimatio distinguitur a dispensatione, quia per legitimationem quis redditur habilis ad omnia, ac si revera esset legitimus, per dispensationem vero efficitur habilis ad aliquem vel aliquos actus juxta verba dispensationis.

1470. *Quaeres, quid sit observandum, si petatur dispensatio super natalibus?* R. Exprimi debet, an is, pro quo petitur, sit natus ex utroque parente soluto, vel alterutro conjugato, aut constituto in sacris ordinibus, alias dispensatio irrita est. Modus petendi est sequens: *Petitur dispensatio super natalibus ad ordines minores et majores tantum (vel etiam ad beneficia) pro NN.* (exprimatur nomen et cognomen) dioecesis N., qui natus est ex simplici fornicatione, vel adulterio ex parte etc.

1471. IV. Irregularitas contrahitur ex infamia tum juris, tum facti (infamia est nota turpidinis; infamis dicitur, qui ob vitium aliquod, aut turpidinem male audit). *Infamia juris* oritur vel ex delicto proprio, vel parentum, vel vili conditione personae dispositione juris vel civilis, vel canonici, item ex sententia judicis aliquem ad poenam infamantem damnantis, v. g. ad tritemes, flagella, cauterium etc. Plura peccata sunt, quae ipso iure inducunt infamiam. Sic 1. ex Conc. *Trid.* infames sunt duello decertantes, eorumque patrini. 2. Mulierum raptiores, et ad id consilium, auxilium, vel favorem praebentes. 3. Gladiatores, usurarii publici, sicut et committentes crimen lenocinii, h. e. qui scortorum prostitutione quaestum faciunt. Juxta l. *palem* 43 ff. L. 23. tit. 2. de ritu nupt. ubi §. 2. dicitur: *Lenocinium facere non minus est, quam corpore quaestum facere.* Ibid. ab initio: *palam quaestum facere dicemus non tantum eam, quae in lupanario se prostituit, verum etiam, si qua, ut adsolet, in taberna cauponaria, vel qua alia pudori suo non parcit.* De infamibus vide can. *Infames.* 2. III. q. 7. can. 17. VI. q. 1. Denique juxta regulam juris penult. in 6. *Infamibus portae non pateant dignitatum.* *Infamia facti* oritur ex delicto gravi et notorio, propter quod reus apud graves et honestos viros male audit. Dixi notorio; ex delicto enim occulto probabilius non oritur infamia, si excipias homicidium, et censurae violationem. Juxta *La Croix* L. 7. n. 513. ad inducendam hanc irregularitatem non sufficit infamia popularis etiam publica, sed requiritur regularis et canonica, scil. vel ex jure vel ex sententia judicis orta, ita ut non per vitae emendationem, sed per solam Ecclesiae dispensationem tollatur.

1472. V. Irregulares ex defectu aetatis censentur illi, qui sine legitima dispensatione suscipiunt ordines, quin habeant legitimam aetatem

requisitam a *Trid.* sess. 23. c. 12. de reform. Haec irregularitas tamdiu durat, quamdiu durat defectus aetatis, ut arg. ex c. ult. de temp. ordin. Cessat autem absque alia dispensatione completa requisita aetate. Ex Constit. *Pii II.: Cum ex sacrorum;* qui sacrum ordinem ante legitimam aetatem praesumunt accipere, ipso facto suspenduntur, et si illum exercant, novo titulo (ut ait *Bonac.* l. c. pun. 4. n. 1.) fiunt irregulares, neque etiam possunt aetate superveniente illum exercere ante obtentam dispensationem a predicta suspensione. De modo et causis dispensationem impetrandi super aetate infra §. ult.

1473. VI. Irregulares juxta *Tournely* in paelect. theol. de Sacram. Ordinis A. 6. etiam sunt, qui perpetuo obligati detinentur in curia Principum saecularium tamquam Judices, Advocati; possunt tamen ordinari deposito officio.

1474. VII. Irregularitas ex defectu sacramenti, sive significationis matrimonii oritur ex *bigamia*, non quod secundae nuptiae veri sacramenti rationem non habeant, sed perfecte non significant unionem Christi cum Ecclesia, quae est unius cum una. Hinc Apost. 1. ad Timoth. 3. ait: *Oportet Episcopum unius uxoris virum esse.* Triplex hic distinguitur bigamia ad contrahendam irregularitatem: 1. *Vera;* quando plures successive uxores legitime ducuntur. Hos bigamos Ecclesia ab ordinatione semper removit, c. *Nuper a nobis,* de bigamis non ordin. Ad hanc irregularitatem incurrandam necessaria est consummatio matrimonii, unde non sufficiunt ad hanc bigamiam sponsalia de futuro cum pluribus, etiam sequuta copula; nec sufficit fornicatio, adulterium, aut matrimonium ratum cum pluribus, sed requiritur matrimonium verum, vel praesumptum cum duabus, et consummatum; c. *debitum, c. quia,* de bigam. non ordin. 2. *Bigamia interpretativa* est, qua quis ex juris interpretatione tanquam bigamus habetur. Sic bigamus et irregularis censemur, qui viduam non virginem duxit, et cognovit, ex *Innoe.* I. epist. 2.; ex *S. Leone* epist. 87. Item qui propriam uxorem cognoscit post adulterium ab ipsa patratum, quia ipsa jam divisit carnem in plures. Can. 8. Concil. Neo-caesar. Item qui dicit uxorem prius ab alio corruptam, etiam per fornicationem, et cognoscit, non tamen si ipse eam ante corruptit, quia tunc non est divisio carnis in plures. Denique qui plures quidem uxores, sed non veras habuit propter impedimentum dirimens; c. *nuper,* de bigam. non ordin. 3. *Bigamia similitudinaria* dicitur, qua quis post votum solemne castitatis in approbata religione emissum, vel post sacrum ordinem susceptum, contrahit et consummat matrimonium etiam cum virgine; c. *quotquot XXVII. q. 1.,* quia talis merito censemur duo matrimonia contraxisse, unum spirituale cum Christo, alterum carnale cum muliere.

1475. *Adverte.* Irregularitas bigamiae tolli potest per dispensationem summi Pontificis, saltem quod attinet ad susceptionem et usum ordinum, quia haec est de jure humano, ut probat *Bonac.* l. c. pun. 5. n. 14. Episcopis tamen conceditur potestas dispensandi in bigamia similitudinaria cum eo, qui contraxit cum virgine; c. *Sane.* 4. de Cleric. conjug. Item c. *de Diacono.* 1. qui Clerici.

1476. VIII. Irregularitatem ex *defectu lenitatis* contrahit is, qui *volutarie, active, efficaciter, et proxime,* licet juste, concurrit ad necem vel mutilationem alicujus, c. *si quis viduam.* 8. dist. 50. Sic *primo* in judicio justo vel causa sanguinis irregulares sunt, et *proxime* cooperantur accusator, qui petit vindictam, advocatus vel procurator, qui accusatorem juvat, testes, notarius scribens sententiam mortis, vel mutilationis, judex, qui pronuntiat sententiam, carnifex, qui eam exequitur, et *ii omnes,* qui ipsi

operam praestant. c. *Clericis*, c. *Sententiam*, ne Clerici, vel Monachi, c. *Episcopos*, eod. tit. in 6. E contra non fiunt irregulares, qui gladios vel laqueos faciunt, legislator leges capitales condens, Concionator in genere dicens, puniendo esse malefactores, Confessarius interrogatus de reo, an mortem mereatur, si respondeat, judicem sine acceptione personarum fungi debere suo officio; quia hi omnes non concurrunt proxime, sed tantum remote. Tum autem hi proxime concurrent, et fierent irregulares, si quid facerent, aut dicerent in particulari, ex quo mors alicujus sequetur, aut acceleraretur, v. g. si quis efficaciter urgeret reum ut scalam ascenderet, vel ad hoc illum juvaret.

Hic ad tollendos scrupulos juvat notare sequentes sententias: *Prima* est *Vasquesii*, *Turriani*, *Hurtadi* et aliorum: quod ex homicidio nemo fiat irregularis, nisi concurrat *ut publicus minister justitiae*, sive ad causae probationem, sive ad executionem, vel *ut privatus* injuste et cum peccato. *Secunda* est *Avilae*, *Henrig.*, et *Laym*. quod subinde etiam proxime concurrentes excusari possint ab irregularitate, v. g. si fiat ex indeliberatione, v. g. si dicat confessarius ad reum, *properemus*: vel si cooperatio sit valde exigua, v. g. si quis furem hortetur ut scalam ad patibulum ascendat, vel si quis carnificem moneat, ut aliquid melius aptet, quo citius extinguitur reus, qui suggerit viam breviorem ad locum supplicii, qui carnifex putanti suspensum esse mortuum, significat, eum adhuc vivere, ex quo novam carnificinam exercet etc.

1477. De pugnantibus in bello notandum: *Primo* si bellum sit eviderter injustum, omnes in eo militantes irregulares sunt, etiam qui propriis manibus neminem interficerunt, si vel unus fuerit occisus, can. 4. dist. 51. ex Conc. Tolet. I.... *Secundo* irregulares sunt, qui in bello etiam justo propria manu occidunt, vel mutilant; c. *petitio*, de homic. volunt. Secus, si nullum occiderint.

1478. Medici et chirurgi non contrahunt irregularitatem, qui secuti artis suae regulas, consuluerunt, vel executi sunt mutilationem; quia hic non est defectus lenitatis, si pars una ad conservationem totius praescindatur. Secus, si intercederet gravis negligentia, et incuria eorum.

1479. Non fit irregularis ex defectu lenitatis, qui coactus vim vi repellens cum moderamine inculpatae tutelae aggressorem iniquum interficit, aut mutilat; quia in jure tali actui non est statuta irregularitas. Pariter ea nec statuta legitur soli vulnerationi.

1480. IX. Irregulares ex defectu libertatis sunt: 1. *Omnis servi proprii dicti, donec consequantur plenam libertatem*. Constat ex tit. *de servis non ordinandis*. 2. *Conjugati*, nisi uxores consentiant et castitatem voveant. 3. *Curiales*, h. e. curiae saeculari facto juramento obligati, ut n. 1473. dictum est, scil. nisi vel dispensatio intercedat, vel consuetudo, sciente Papa, id permittat. 4. *Milites*, quamdui juramento tenentur; *lectores*, *apparitores*, et similes.

§. III. De irregularitate ex delicto.

1481. *Principium generale*. Irregularitas ex delicto oritur I. ex iteratione baptismi serio et scienter, ita ut fiat irregularis tam rebaptizans, quam rebaptizatus, cum hoc discriminere, quod Clericus rebaptizans tantum impediatur a suscipiendo ordine altiore. Arg. ex c. *ex litterarum*, de apostatis; c. *qui in qualibet*. 1. q. 7. Non tamen incurritur irregularitas, si rebaptizatio fiat sub conditione: *si non es baptizatus* etc., quia tunc non est rebaptizatio vera cum effectu; nam reiteratio est sine effectu, si baptismus antea valide fuit collatus. *Reiffenst. L. 5. Decret. tit. 37. n. 69.*

1482. II. Haec irregularitas oritur ex violatione censurae, v. g. si quis censura (excepta excommunicatione minore) innodatus actum aliquem ordinis solemniter exerceat. Ita in toto tit. de Clerico excommunicato ministrante etc. *Is. cui*, 20. de sent. excomm. in 6. Notandum hic ex l. 7. de Synod. Dioec. c. 67. ubi *Bened. XIV. n. 7.* ait: *A jure irregularitate quidem afficiuntur, qui contempta, qua ligantur censura, in suscepto ordine ministrant; nunquam vero irregulares pronuntiantur, qui cum ejusdem censurae vinculo ad superiorem ordinem ascendere praesumunt.*

1483. III. Ob peccatum, quo Clericus exercet solemniter ac scienter actum ordinis sacri, quem non habet. c. *ex litteris*. 2. de Clerico non ordinato ministrante. Duxi, *solemniter*; quia si ministret sine solemnitatibus requisitis ad hoc, ut quis dicatur ministrare ex officio, v. g. si quis cantet epistolam sine manipulo, vel Evangelium sine stola, non dicitur proprio ministrare in ordine, ideoque nec fit irregularis. *Tourn. l. c.* Duxi etiam, *actum ordinis sacri*; quia etiam laici in ordinibus minoribus adhibitis vestibus ecclesiasticis, ministrare solent, quin tamen fiant irregulares.

1484. IV. Ob delictum, quo quis *illicite suscepit ordines*, v. g. *in excommunicatione majore*, aut *ab Episcopo non habente jurisdictionem*, vel *ante legitimam aetatem*, vel *sine dimissoriis*, vel *furtive*, et non examinatus, Episcopo scil. nesciente et non approbante. c. 1. 2. et 3. de eo qui furtive.

1485. V. *Propter enormia criminis, si sint notoria et publica*, v. gr. quae a jure annexam habent infamiam (ut supra dictum est); cujusmodi sunt adulterium, raptus, incestus, perjurium in judicio. Huc revocant aliqui histriones, qui valde turpia publice cum scandalo proponunt, ludunt etc.

1486. VI. Ob *mutilationem*, vel *homicidium*, vel directe, vel indirecte voluntarium. Per mutilationem hic intelligitur, quando a corpore separatur membrum aliud principale, h. e. pars corporis, quae officium per se distinctum habet, ut manus, pes, oculus etc. Hinc non censetur mutilare aliquem, qui alteri excutit dentem, digitum, aut auriculam, et ut ait *Bussbaum*, nasum praescindit, quia haec non sunt proprie membra. Nec fit irregularis, qui excaecat alterum, non excutiendo oculum, nec qui debile tantum reddit aliud membrum, quia haec non est mutilatio. Quod homicidium voluntarium inducat irregularitatem, patet ex toto tit. de homicid. item ex c. 4. 5. 6. 8. etc. dist. 50... *Voluntarium*, inquam, tum directe tale, quod directe intenditur vel in se, tum indirecte tale, quod intenditur in sua causa, quae cum effectu ita connexa est, ut quis eum praesumatur velle, eo ipso, quod velit causam, ex qua praevidebat, vel praevidebat debuit, mortem esse secuturam.

1487. Ex homicidio mere casuali ab eo perpetrato, qui operam dedit rei licitae, et omnem adhibuit diligentiam ad evitandum homicidium, nullam incurri irregularitatem, in jure receptum est, uti colligitur ex c. *lator* 9. c. *delectus*. 13. c. *ex litteris*. 14. et seq. de homicidio. Atque ex eo dependet resolutio notae quaestionis, an irregularitatem incurrit Clericus hominem forte interficiens in venatione; ad quam sub distinctione respondent AA.: Si homicidium commiserit in venatione *clamorosa*, quae certo prohibita est Clericis, incurrit irregularitatem, quia vacando rei illicitae delictum commisit: secus si id commiserit in venatione *quieta*, de qua cum nondum certo definitum sit, quod sit Clericis prohibita, probabile est, quod in tali casu non incurrit irregularitatem, quia probabile est, quod vacaverit rei licitae, si tamen simul adhibuerit omnem diligentiam ad evitandum homicidium. *Confirm.* ex L. 7. de Synod. Dioeces. c. 61., ubi *Bened. XIV. n. 8.* ad hanc resolutionem addit: *Nihilominus Sacra Congregatio Concilii saepius*